DE ELOQUENTIAE PRAESTANTIA ET DIFFICILI ADEPTIONE

CONCIUNCULA

IN HISPALENSI SCIENTIARUM ACADEMIA

PRO ANNUA STUDIORUM RENOVATIONE

AB JOSEPHO LOPEZ RUBIO,

RHETORE,

HABITA

XV. CAL. NOV. MDCCCXXVI.

HISPALI:

TYPIS REGIIS.

Cum imperatus á vobis, viri sapientissimi, hunc locum, ad dicendum ornatissimum, reverens ac timidus propter ipsius auctoritatem atque imbecillitatem ingenii, hodierno die ascendere statuissem, ut succisivo tempore Academiae nostrae intermissa studia adolescentibus jam edicerem revocata, multum mecum cogitavi, ex plurimis quas excolendas ingredimur, quam praeclaram scientiam aut artem hoc disserendi exordio celebrandam et commendandam susciperem. Ac me diu cogitantem ratio ipsa, vel institutum meum, in hanc potissimum orationem duxit, ut cum sapientia sine eloquentia parum prossit hominibus, hujus laudem persequerer, et quanta vis sit ejus exprimerem; quibus rebus adolescentium excitarem et exâcuerem ingenia, ut quamcumque disciplinam suo quisque studio assequatur, si gloriae sit cupidus, sibi etiam ad dicendum summa cura enitendum putet. Nam cum hoc praeclaro immortalis Dei munere nos simus instructi et ornati, ut exprimere dicendo sensa possimus, atque earum rerum quas mente percepimus, intelligentias communicare caeteris; neque hoc solum, quod sane magnum est, sed illud etiam, quod maximum ac praestantius, ut voluntates nostras transferre in alios valeamus, atque eorum flectere animos, et sic afficere ut velimus; cum ergo tantam vim rerum optimarum mens humana conti-

neat, ¿quis non laudabit eloquentiam, qua id sanè quo homines bestiis praestant, exercitatione et artificio quodam excolentes, eodem etiam hominibus ipsis antecellant? Neque enim verum est illud, quod garrientes graeculos, qui primi rhetorici vocati sunt, existimasse video, quodque multos venustae virilisque orationis depravatores exemplis suis confirmasse sentio, eloquentiam esse fucatam quamdam et inanem ostentationem verborum, et tanquam puerilem ludum, quo imperitorum plausus stulti homines captare volunt; cum ars potius optima ac fere divina illa sit, minimè arrogans, maximeque constans quae ex summa ingenii vi et maximarum rerum scientia coalescit; quaeque in cognitione naturae versatur, atque in praeceptis colendis, quorum in natura ipsa fundamentum est et origo.

Atqui hoc primum judico, nullis rationibus, nullisque, praeceptis eloquentiam comparari posse, si hoc quod á doctrina delatum, á natura denegatum esse videatur. Atque etiam hoc existimo, tantam dicendi virtutem, nisi ei qui dicit, ea de quibus dicit, cumulatè percepta et cognita sint, extare non posse: etenim ex rerum cognitione eflorescat et redundet oratio necesse est. Quamobrem in litteratos homines ac doctos intuentes, sepaenumero videmus quosdam omnibus rhetorum praeceptis oneratos et instructos, naturâ vero rerum incognitâ in quibus versantur, de rebus maximis jejune et exiliter disputare, ut eorum oratio nulla sit, atque omnium irrisione ludatur. At contra invenimus permultos, magno hercule ingenii acu-

mine natos, qui cum multâ rationum ac doctrinae copiâ parati accedant ad disputandum, quod ignari sint faciundae ac expoliendae orationis, res apertas ac perspicuas discerptarum sententiarum varietate, multâque insolentiâ ac turbâ verborum, saepe inscitiâ plane loquendi, ita confundunt ac perturbant, ut oratio quae lumen adhibere debet rebus, ea obscuritatem et tenebras afferat. Quod quidem cum penitus perspiciamus, inteligimus profecto, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam, atque hanc tam praeclaram loquendi scientiam non sine multa praeceptorum copia ac doctrina posse comparari. Nam cum verba, quae sunt oratori subjecta materies, signa sint earum rerum quas intelectu complexas tenemus, nemo prorsus sensa sua nec ad alios mittere poterit, nec vel ipse intra se percepta conferre, atque abs rebus species quasdam et similitudines trahere, et quasi in commune genus fictâ representatione constituere, nisi qui signorum intimâ cognitione polleat, ut nec semet ipse cogitans, nec caeteros alloquens, in erratum falsâ significatione traducat. Ex quo id rursus efficitur, quod jam antea dixi, unam eximiam esse de summis artibus cogitandi pronuntiandique rationem, quam homines inginiis uberrimis affluentes, ac multâ optimarum rerum, doctrinâ instructi, summo studio curandam sibi esse, ac quaerendam, et excolendam, enitantur. Itaque hanc laudemdae eloquentiae, caussam afferamus, nihil esse hominibus tam praeclarum, ac necessarium, quam artem istam sive stientiam, qua rec-

tè cogitare, et quae cogitaverint, distinctè, explicatè, illuminatè dicere doceantur, ut quod naturâ loquendi munus acceperunt, augeant, expoliant, perficiant. Id etiam adjungam, nullum esse studiis caeteris difficilius quàm eloquentia, cui, cum multa, eaque et diversa singula et ardua complectatur, industriam omnem, diligentiam, laborem maximum, opus est adhibere.

Haec duo sunt, quae in hac edisserendi ingressione, atque in conspectu vestro, viri sapientissimi, exponenda judicavi, brevius autem quam causa desiderat: neque enim angustiae temporis ac tenuitas ingenii copiam, quam velim, persequi me ferunt.

„Ac ne illud á me &c. (*el párrafo de Universidad.*)

Eloquentiam si definire velimus, ut res de qua agitur, qualis et quanta sit, jam intelligatur ab exordio, facultas est loquendi ad persuadendum accommodatè. Atqui hoc primum intelligo, persuasionem in intellectus convictione sitam esse atque voluntatis excitatione. Nam cum dicimus, vel ea quae mente percepta tenemus, communicare volumus auditoribus, ut ea quae intuemur, et ipsi illuminati perspiciant, vel voluntatem impellere intendimus, ut quae volumus, et ipsi velint, et suscitentur ad illud agendum, quod agere oportere aut decere convicti sunt. Ex quo apparet, eloquentiam nullis terminis septam teneri, sed progressam longius in omnes hominum facultates ac cognitiones tamquam in suam regionem venire. Omnes enim

humanarum facultatum artes sive disciplinae, quae appellantur scientiae, cognitiones sunt comprehensionesque rerum é quibus efficiuntur; quae tum cognitae erunt et comprehensae, cum discutiantur, ut ex iis quae ante exorsae et detextae sunt nova excipiantur aliae, quae tectae sunt et obvolutae. Atqui hujus discussionis ea est vis, quod si recta sit et accurata, cognitiones nostrae magnopere augeantur et expoliantur: si à vero autem aberret, fore ut tota labet disciplina, atque in summo errore cognitiones nostrae vagentur latiùs, et in ista pravitate perstent. Jam vero discussiones istae quae scientias efficiunt, unâ omnium artium maximâ eloquentiâ perficiuntur, quae rerum percipiendarum regulas tradit, et mente perceptas pronuntiare docet, ut sine errore et quales nos tenemus, traducamus ad alios. Quare mihi videtur, hoc studium cum à plerisque desertum obsolevisset, summo cum caeterarum artium detrimento, ineptias multas exortas fuisse, quae scholas invadentes, disciplinas omnes bene constitutas perturbarunt, atque subtilitate quaestionum, quae saepe inanes, aliquando etiam periculosae essent, everterunt. Cumque in fucata quadam doctrinae auctoritate delitescerent, omnium scientiarum apertas vias obstruxerunt, rebusque clarissimis tenebras obduxerunt, ut nihil cernere, nihil omnino quale esset, posset hominum mens reperire. ¿Quî enim de rerum natura quam dictilabant, hebetes homines atque imperiti convenirent, quam nec satis cognitam haberent, nec

verbis usitatis ac propriè demonstrantibus ea quae significari ac declarari vellent ; possent expromere? Vis enim et natura rerum , nisi perfecta ante oculos ponatur, qualis et quanta sit, intelligi non potest.

Quaero igitur ¿quaenam universarum artium singularis ac prope divina ars hominum mentibus obductas tenebras potuit dissipare nisi ista omnium magistra, quam jamdudum laudo, eloquentia? Haec enim scientiam complexa rerum, intelligentias mentis ac voluntates sic verbis explicat, ut eos qui audierint, illuminatos quocumque voluerit impellat. Haec ergo quasi loquens sapientia, rudes homines expolivit, hominesque reddidit, tantumque lumen nostris temporibus adhibuit omnibus disciplinis, quantum vix mirari possumus. Una est ergo eloquentia, quae in philosofiaę oras delata, cum jacentem ac pene extintam invenisset, revocavit, atque ab humili duxit ad summum. Eloquentia, suo instructu ornatuque comitatu, cum jurisprudentiae obscuras ac latebrosas regiones esset ingressa, sua luce illustravit, atque argutos et callidos homines edocuit, ut îi qui jura, qui leges, qui civitates constituerent, simpliciter et splendide loquerentur, sine illa serie disputationum, et sine jejuna concertatione verborum. Ac ne plura, comprehendam brevi : non est omnino ars ulla, sive disciplina, sive scientia, cujus cum moderatrix ac magistra praesto esset eloquentia, et multa non invenerit sapientius, et quae jam essent inventa, non fecerit meliora. Quod qui

dubitet, convertat animum ad ea ipsa disciplinarum genera, cum in tanta obscuritate haererent, circumspiciatque qui in iis floruerint, quamque multi ingenio acerrimo, memoriâ summâ, quantaque in suis studiis varietate et copiâ fuerint; qui cum multis in rebus non separatim elaborarint, omnem difficilimarum artium pènè infinitam materiam cogitatione comprehenderint, ut jure miretur, in hoc tam exiguo vitae curriculo et occupatione mentes hominum tot res ac tantas effecisse. Mirabile quidem istud, sed illud mirabilius, excellentissimos illos viros, qui vel naturâ vel studio tanta pepererunt illustria, ineptias illas atque errores in quibus plebeii litterati haesitabant, vitare non potuisse; ut dubitandum sit, plurane detrimenta disciplinis et artibus quam adjumenta per homines doctissimos essent importata. Cujus rei si causam quis requirat, hanc afferam verissimam, homines sapientissimos, haud quamquam eloquentes, disputandi studio delectatos dicendi studium despexisse, sine quo maximae res neque accuratè cognosci possunt, neque aptè explicari.

Quod si tanta est eloquentiae vis, ut ea quae ignoramus discere, et quae scimus, alios docere possimus, ¡quanta vero illa est, quam splendens, quam domina rerum, qua persuademus et movemus atque excitamus animos, hominesque per omnes vitae varietates et casus tanquam duces, vel etiam propter insolentiam resistentes conducimus! Quod si contrahere licet, ¡quantus erit

jurisconsultus, qui non suo solo artificio, hoc est, non sola juris scientiâ paratus, sed etiam eloquentiae arte instructus accedit ad causas! Quam rem non aggredietur tanta virtute sustentatus? Quam vehementî contentione animi et virium innocentiam tuebitur, crimina accusando vindicabit, atque expellet ex urbibus; Reipublicae civem improbum removendum urgebit, scelus frandemque nocentis dicendo subjiciet odio civium, suplicioque constringet, ut corrigat mores aliorum et peccata reprehendat, ne boni ab officiis declinent? Age, et ad clarissimos homines qui ad Rempublicam moderandam omne studium suum contulerunt, eloquentiam adducamus. Hi enim si magni viri sunt ac sapientes, cum ea quibus utilitas Reipublicae paretur et augeatur invenerint, teneant, iisque utantur, majora facient suadendo, ut optabilia expetendaque videantur, tum multa aptaque sententiarum varietate et copia, tum concinna verborum suavitate ac gravitate, quibus excitati homines et incensi flagrent cupiditate obsecuendi, quasi non imperantium consilia sed suas voluntates exequantur. Ac si jam placet omnes disciplinas eloquentiae subjungere, etiam religionis divinae scientiae tanquam ancillam pedissequamque adjungamus. Nihilne igitur prodest theologo eloquendi artificium? Quis hoc neget? cum revelatae religionis interpreti hoc etiam praeclarum munus adjunctum sit, ut se à caelestibus rebus referat aliquando ad humanas, ut mores instituat, hominesque doceat summum bonum ac divinum quod revelatum cognoscunt, quod colunt,

quod expectant, multum habere cum virtute conjunctum. Quis enim nullis honestatis ac virtutis praeceptis tradendis, theologum se audeat dicere ? Quae cum grandiora sint et quodam modo excelsiora quam ea quae à philosophis, ab jureconsultis, ab omnium humanarum disciplinarum magistris pertractantur, necesse est ut excelsius magnificentiusque dicantur. Quod si ad laudationes se conferat theologus, quod genus quoddam est, idque praeclarum ac difficilimum eloquentiae, nemo est qui ignoret ex iisdem fontibus unde omnia ornate dicendi praecepta sumantur, licere etiam laudationes ornare. Ac non delectationis aut hominis alicujus ornandi sed utilitatis causa à theologo laudationes componuntur: quare hoc primum oportet, ut ea laudet in homine quae optanda sint ut imitemur. Non enim naturae vel fortunae bonis, sed virtuti laudes debentur. Quam obrem sanctorum laudes sic theologus persequetur, ut forma ipsa et tanquam facies honesti quasi oculis cernatur, quae mirabiles amores excitet honestatis, ut non modo jucunda auditu laudatio, sed etiam generi hominum fructuosa putetur. Atqui virtutum praeceptis ac laudibus proponendis hoc etiam theologi munus est, ut suadeat, virtutem ad beatè vivendum se ipsâ esse contentam ; quod ita grave ac magnificum est, ut in id perficiendum tota ferè theologia nostra incumbat, cum edocet, ad summum bonum, quod jam est revelatum, omnia nobis esse referenda, quod virtute in hac vita adipiscemur, eôdemque post mortem summo gau-

dio perfruituros. Atque hac etiam ratione peccata vitare nos admonet, quod à summo illo bono hominem semoveant, poenas daturum, cum rectè factis praemia extent aeterna, ac suplicia peccatis.

Atqui haec sunt ante oculos, sed non continuo ut assequamur; egent enim cohortatione quadam. Mentem saepe affectus perturbant ac rationem praecurrunt et transeunt, ut multa inconsiderate agamus, quae non decere cognoscimus. Possum exemplis hoc confirmare, non longè petitis, sed praesentibus atque vivis. Nos ipsi christiani, qui religionem sanctissimam divinitus constitutam tenemus, quique de virtutibus atque officiis non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam accepimus, ¿quotiès labamus, atque officia nostra pervertimus? nec ulla in erratis approbatio rationis nos eludit, sed affectuum impulsu mens perturbata desciscit à veritate. Efficiendum est igitur, ut affectus animi omnes rationi obediant, eamque, quia deserere non possunt, neque praecurrant longius exsultantes, ut à ratione retinere non queant, neque tumultuose prosequantur, tranquillitatem animi perturbantes. Quod ut assequamur, elaborandum est, ut mens multis adjumentis suffulciatur, ut affectus quibus repentè incitetur omnibus viribus atque opibus contineat. Et quia affectus omnes in potestate rationis sunt, cum alius efferetur, exsuscitabit alium qui exsultantem contrahat et dejiciat. Utar exemplo. Sic universo generi hominum amici nati sumus, ut naturâ ad liberalitatem propendamus,

quam etiam in officio esse, à religione docemur. At frequenter avaritiâ et divitiarum cupiditate caritas illa languescit ac ferè extinguitur; quod si contingerit, curandum est, ut praeclaris rationibus exsuscitetur et incendatur. Meminerit beneficentiam virtutem similem in homine ac Deo esse, quam cum in illa immortali natura pulcherrimam atque infinitam fuerit contemplatus, caelesti imitandi ardore inflammabitur, ut se similem Deo et tanquam cognatum reddad, efficiaturque quidam deus, ut ita dicam, inter homines, ut quidquid habeat boni impertiatur alteris, neque indigentem quemquam aut miserum esse sustineat; quibus beneficiis amores pene infinitos sibi comparet ac laudes ac benedictiones, quibus cumulatus migret è vita, et ascendat ad Deum. Quas res ac tantas qui contemplabitur, reor ut omnem avaritiam pellat ex animo, totamque vim benè ac beatè vivendi in divitiarum contemptione ac despicientia ponat, et in beneficentiae virtute.

At bene dicendi artificio, ut redeam ad eloquentiam, diserti saepe abutuntur. Fateor; sed hominum ista, non artis culpa est. Saepe enim, quod non sine perfidia accidere potest, oratores res dubias explanant longe aliter atque sunt, sed acutè atque concinnè ut quod turpe est ac sceleratum, fictâ quâdam specie virtutis honestum ac decorum videatur. Hoc improbi hominis est et virtutis expertis, loquendi munere, quasi furens manibus impiè abutentis. Sed eloquentia ex ipsius naturâ et habitu, non ex aliqua re externa ju-

dicanda est. ¿Quam ergo dabimus hominibus facultatem, quae vitia culpamque excludat? cum ea quae ad vitae necesitatem et commoda vel à natura accepta, vel ab hominibus inventa, aliquando in salutis detrimentum ac perniciem, stultorum et improborum temeritate et audaciâ, convertantur. "Cibos aspernemur, attulerunt „saepè valetudinis causas. Nunquam tecta subea„mus, super habitantes aliquando procumbunt. „Non fabricetur militi gladius, potest uti eodem „ferro latro. ¿Quis nescit ignes, aquas, sine qui„bus nulla sit vita, et (ne terrenis immorer) so„lem lunamque, praecipua siderum, aliquando „etiam nocere" (1).

Sed quoniam, quod primum est propositum, eloquentiae praestantiam atque utilitatem jam vobis cognitum ac probatum esse sentio, illud quod adjunxi secundum, non disimulabo; loquendi studium quod laboris, molestiae, longinquitatis indigeat, plurimas ac maximas causas habere difficultatis. Atqui haec est in omni genere lex naturae, ut quod optimum est, non sine magna difficultate et contentione animi assequamur. Terra sponte sua gramen gignit et foenum, fruges autem et vites et oliveta non sine cultu hominum ac diligentia. É montium cacuminibus facile marmora evelluntur; aes autem et argentum et aurum vix è terrae visceribus penitus abdita elicimus. Natura enim solers rerum domina ea quae ad victum et ad usum vitae sunt necessaria, li-

(1) Quintil. Instit. orat. lib. 2. cap. 17. pár. 1.

berrima cum largitate fundit, quae vero ad oblectationem et ornatum, non nisi laborantibus parat, tanquam largam mercedem ac praemium. Ad hanc ergo providentiam naturae referendum est profecto, ut cum ad usum orationis multa opera machinata esset, praeclaram eloquendi vim ac munus tanquam in coelo recondidisset, ex quo evocari necesse sit magno studio ac labore et exercitatione non parva.

Alioqui ¿quonam modo infinitam illam rerum scientiam consequetur orator, qua unà cum acerrimo ingenii acumine instructum esse oportere, dictum est? Neque ego summum oratorem nunc fingo, sed hujus vel secundum vel infrasecundum, qui eximiam ac pulcherrimam eloquentiae speciem, quam vix mente complectimur, sibi studeat comparare. Nam etsi tantum oneris oratori non imponam, ut nihil ferè sibi liceat nescire, tamen, illud non tollam, ut quam rem dictione explicandam suscipiat, primum accuratè cognitam et comprehensam habeat, nihilque ignoret quod proprium sit illius disciplinae in qua versabitur. Sed quoniam mirus quidam est omnium consensus disciplinarum, illam certè suam scientiam non poterit cumulatè adipisci, nisi aliarum quâdam doctrina erit imbutus. Libet rem apertam exemplis facere illustriorem; ¿qualis hominis putatis esse historiam scribere? ¿Illiusne qui monumenta temporum gestarumque rerum memoriter retinuerit? Atqui haec fundamenta sunt scriptionis, ipsa autem ex-

aedificatio efficienda est ex rebus et verbis. Primum enim desiderat descriptionem regionum, deinde notitiam morum incolarum, tum leges ac jura, ac Reipublicae statum, postremò pactorum publicarumque rationem negotiorum, quibus vinculis populi constringantur. Neque hoc praeteribit, ut cum res magnas memoriâ dignas scribat, earum causas explicet omnes vel casus vel fortunae, ut non modo res gestas sed etiam eventus et consilia vel sapientiae vel temeritatis, quod vulgus non considerat, patefaciat. ¿Videtisne quam rerum copiam complectatur historiae scriptio, quantaque omnium disciplinarum adjumenta desideret? Jam vero philosophi ex historiae thesauro cum multa exhauriant, ut commemoratione antiquitatis, exemplorumque prolatione summa cum delectatione et auctoritatem sententiis afferant et fidem, historiam philosophiae adjungendam esse, nemo erit qui dubitet. Sunt igitur omnes artes sive disciplinae ita conglutinatae et ratione quadam constrictae, ut dissolvi divellique non queant, seseque multum adjuvent ac tueantur. Neque ulla est, quae cum sua ac propria habeat percepta, aliarum etiam aliquando non anquirat; ex quo apparet, inter omnes artes quae ad humanitatem pertinent, esse quamdam naturâ constitutam cognationem ac societatem.

Quod si bonarum artium scriptores separatim res suas scriptitantes, multa ex omnibus disciplinis haurire debeant, quae in causa prudenter intexant, ¿quid discere oportebit orator,

cujus est res de quibus dicit, dicendo facere splendidiores, ut audientium mentes illuminet, ut provet, ut delectet, ut flectat? Nam et oratoris est rem quam dicit, copiosè exponere, quod sine perfecta ipsius cognitione effici non potest: neque utetur imprudenter hâc copiâ, sed omnia expendet, ut seligat quibus utatur aptiùs: quae cum invenerit multâ diligentiâ collocabit, ornabit, ac limabit stylo, qui maximus est perfector dicendi: adhibebitque, si res postulet, narrationem, eamque variam et jucundam et accommodatam ad persuadendum. Atqui tanto instructu et ornatu comitatu oratio, illud, quod praestantiùs est, animos flectere non nanciscetur, si totam eam philosophiae partem orator non diligentissime perdidiscerit, quae humanorum affectuum naturam, vim, motus, castigatione pertractat. Infinitum hoc certè est atque horribile; ac propterea cum plurimos in omnibus artibus excellentissimos homines ac mirabiles videamus, in dicendo autem vix paucos proferre possumus. Quod cum intueor, maxime mihi occurrunt ac lucent omnium artium inventrices Athenae, qua in urbe primùm se eloquentia extulit, primùmque aptissimis praeceptis instructa est, quibus adjunctus est usus frequens, qui magistrorum doctrinam superaret. Excitabat etiam oratores rei delectatio, atque spes uberior vel gratiae, vel opum, vel dignitatis, quibus praemiis ad studendum commoverentur. Accedebant praeterea status Reipubli-

cae, non imperiosus sed moderatus, morum ingenuitas, graece linguae elegantia ac venustas quaedam incomparabilis, prudens semper sincerumque judicium, quibus tantis rebus incitata eloquentiae studia diu viguerunt. Tamen cum huic studio penitus se dederint adolescentes, paucissimi numerantur qui excellant in eloquendi arte, praestentque multi qui versati sunt in philosophia vel in historia, vel quod mirabilius est, in poesi, in qua perraro exurgit aliquis egregius. Neque felicior hac in re Roma fuit, in qua primas eloquentia tenuit semper, ut non multum et ardore discendi et scientiarum doctrinâ cederet graecis. Sed cum quosdam, vel ante, vel post reges exactos, numeraret oratores satis politos, perfectus autem et omnibus suis numeris absolutus, in ea urbe ante Ciceronis aetatem auditus eloquens nemo erat, neque fuit postea; Ciceronis enim interitu orba eloquentia in foro romano extinta est. Quae vero totâ Europâ peregrinata, omnem illam atticae dictionis ac latinae venustatem perdidit, ac loqui penè dedicit. Sed cum aliae disciplinae atque artes, quibus fons perfectae eloquentiae continetur, exsuscitarentur atque extollerentur in coelum, ut veterum sapientiam superarent in multis, tandem serò prodiit in lucem eloquentia, et à doctis hominibus aliquantò excoli caepit, non exquisitè, ut caeterae artes, in quibus majore gloria vel laude quam in hac una dicendi versati sunt, ac floruerunt. Cumque majores causas quam an-

tiqui sive in templo, sive aliquando in foro pertractarent, nullum perfectum et cui nihil admodum, deesset oratorem adhuc, qualem Athenae Demosthenem, Roma Ciceronem, protulerunt.

¿Quam igitur causam hujus rei tam admirabilis, tam praeter spem existentis, adhibebimus? Certè istam, quam ipse Cicero attulit, *rei quamdam magnitudinem et difficultatem. Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, ... et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum, et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi.* Haec enim ipsa verba Tullii expressi, qui cum oratoris praeclara munera summô ingeniô atque scientiâ recensuisset, rem scitè conclusit: *Mirari desinamus quae causa sit eloquentium paucitatis, cum ex iis rebus universis eloquentia constet quibus in singulis elaborare permagnum est* (1). Atqui haec ille magnus orator et perfectus magister, qui et ipse docuit multa praeclare, et dicendo quodam modo fecit majora.

Sed ego alias etiam causas possum adhibere probabiles, ex recentiore disserendi ratione deductas. Nam minuta haec atque subtilis disputandi methodus, quam analysim è graeco fonte vocitant, quamque jam doctissimi homines in disciplinas omnes invexerunt, rem ipsam, de qua di-

(1) Cic. De Orat. lib. 1. cap. 5.

citur, velut dissociat, elementa persequitur et partitur, atque ut intimam rei cujusque naturam pandat apertius, orationem nudat, disjungit, exilemque reddit et frustrulentam. Accedit eodem morum nostrorum ad summum expolitior ac delicatior urbanitas, quae homines fecit difficiliores, atque cautiores ad audiendum, ut hoc maximum sit studium oratoris, artem moderari, ne suspicionem artificii afferat, quae minuat et dicendi auctoritatem, et oratoris fidem; quod sane multam tollit movendi vim in suadendo. Addam etiam linguarum novarum inopiam, et incomptam quamdam ruditatem. Habent admodum pauca verba plena et sonantia, et ut ita dicam, musica; quae delectatione vincant aurium satietatem. Carent nominum declinationibus, horrent longius transponere, vix norant vocum concentus ac numeros. Quae omnia, quibus tanquam stellis illuminatur oratio, à veteribus liberius et crebrius, à nobis timidius et rarius usitata, medium quoddam ac temperatum eloquentiae genus confecerunt, quod multum differt à prisco illo Athenarum grandi, incitato, ornato, vel sententiarum gravitate vel splendore verborum, quo nullum elatius esse potest. Neque hanc ipsam moderatam ac mediocrem eloquentiae speciem, quam habemus, ita absolutam esse existimo, ut acriori studio et labore atque industria superiore augeri non debeat, ut ad formam illam optimi, quam mente videmus, proprius accedat. Sunt enim animi nostri affectus adeo mites ac mansueti, ut à pri-

ma illa naturae ferina inmanitate multum distent; atqui haec ipsa lenitas effici potest mollior, vel aliquando incitari, ut quò eos cumque oratio ducet, sequantur, et in officio perstent. Quod si linguae ruditas parum prodest oratori, ingenio atque arte excolere eam valemus, ut ad dicentis voluntatem flectatur, quemadmodum egregium illum Demosthenem legimus summâ diligentiâ industriâque impedimenta naturae superasse.

Quamobrem cohortabor jam vos, juvenes, ne perturbemini, nec tanta rerum difficultas vestrum tardet studium in hoc curriculo, in quo excellentissimorum hominum impresa sunt vestigia, quae sequamini. Effector enim naturae ac gubernator hominem sic constituit, ut cum esset alicujus eximiae rei appetentissimus, si quibus remoraretur obstaculis, iisdem quasi calcaribus concitaretur. Avidius enim aggredimur ea quae plurimas causas habent difficultatis, quam ea quae sine magno aut sine ullo labore ac molestia brevissimo tempore conficiuntur. Labor evincit difficultatem, qua victoria nihil est dulcius, nihil jucundius: eâ enim inmensa animi magnitudo ostenditur, quae illa tam ardua atque operosa potuit perficere. Addite, quod oratoribus sicut poetis à rerum natura non est interdictum: qui egregium ac perfectum carmen divinô ingeniô canere non sciat, recuset lyram. Oratores par est omnia experiri, ut si summa, cum ea tentaverint, contingere non possint, teneant media

quae poterint, siquidem in re excellentissima magnum est id, quod est optimo proximum. *Quare pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori, et amicis utilitati, et Reipublicae emolumento esse possitis.*